DE VARIIS NUMMARIORUM DEBITORUM SOLUTIONIBUS SIVE AD L. Paulus aliâs debitorem 99. D. de ſolut.

DISPUTATIO VALEDICTORIA.

HENRICI GEBHARDI J. U. D.

QUAM

Divinum juxta auſpicium ſub ipſius præſidio

TUEBITUR

WOLFGANGUS à SCHENINGK EQUES Pomeranus.

Ad diem 30. Decembris.

JENÆ TYPIS LIPPOLDIANIS.

Anno 1609.

Magnifico, Nobili, Amplissimo ac Consultissimo Viro,

Dn. MARCO GERSTENBERGIO, ILLVstriss. Saxoniæ Electoris Consiliario intimo, Mecœnati suo unicè venerando colendo.

SI magnis non nisi magna dicare liceret, Mecœnas optime maxume, haud equidem, ignoro, Magnificentiæ tuæ longè majora nuncupanda. Verum sicut DEO supremo numini, ita & præclaris patriæ ac Reipublicæ luminibus venerationis causa, majora si desint, vel parva consecrare, pium duco. Sunt namq; magna & hæc, si ex offerentis æstimentur animo. Volui itaq; publicam hanc gratitudinis meæ extare tesseram, ut omnes intelligant, M. T. pro suis immensis in me meritis, immensas me & debere pariter & habere gratias. Quo circa, ut munusculum hoc levidense æqui consulat ac mihi porro favere pergat, summoperè rogo. Ego, dum vivam, M. T. tantum me debere fatebor, quantum ab homine deberi homini plurimum potest. Valeat M. T. & vivat Reipublicæ, vivat sibi, vivat nobis diu ac feliciter. JENÆ 20. Decembr. 1609.

Magn. T.

Observantissimus ac obsequentissimus cliens

HENRICUS GEBHARDT
J. U. D.

AUSPICE JEHOVA.

THESIS I.

NON nova quidem, sed antiquissima & cotidiana dubitatio est atq; dispectio: *qua in monetâ & quomodo nummorum debitores quoquo casu solutionem facere oporteat?* ardua tamen, difficilis, intricata, subtilis ac profunda, quæ recentiorum æquè ac antiquiorum ingenia eximiè torsit atq; exercuit. *a)* Quam nos in varios, quos continet, casus paullò accuratius distinctam per quæstiones & argumenta verbis, quantum licet, maximè planis discutiemus. *b)*

a) *Testantur id post Cynum, Johan: Reynand: Fichardum & alios Molin. de contract. usurar: n. 686. in fin. & 693. circ. fin. Fachineus 2. controv. c. 9. Ernest. Coth. Respon. 36. in pr. vol. 1. In promptu causa est: Nam facti speciem quæstionibus refert ac continet potiùs, quam quod in juris definitionibus certis consistat Molin. d. tract. n. 717. Andr. Knich. de privil. jur. Sax. c. 5. n: 318.* b) *Post Bart. & Dd. in L. Paulus aliâs debitorem 99. D. de solut. Petr. de Ferrar. in form. act. hypoth. §. relaxandi, Didac. Covar. de collat. veter. numis. c. 7. Antonium Fab. tract. de variis debitor solut. Menoch. in quibusdam consiliis, Knichen loco prædicto, Distelmeierum in consuetudinibus Marchiæ part. 6. tit. 2. Andr.* Kohl. *exerc. 18. & 19. Coth. dict respons. 36.*

2. Caput igitur ac veluti basis hujus dispectionis est, ut quidnam in obligatione sit? ante omnia inquiramus. *a)* Id verò non tam ex numeratione, quàm cautionis dispositionisve verbis (quid nempe solvere debitor promiserit aut jussus fuerit) æstimandum venit. *b)*

a) *Jacob Menoch. consilio 258. n. 1. Andr. Knich. loco citato n. 320.* b) *Anton. Faber in repet. dict. tr. conclus. 15. Menoch. d. consil. 258. in pr. & cons. 138. n. 1. ac seqq. Andr Kohl. exercit. 19. n. 27. Præcipuè namq;, quid inter contrahentes actum sit, ut respiciamus oportet, & quid obligationis dispositionisve, unde debentur nummi, tenor demonstret, L. semper in stipulationib. D. R. J. Sic ut singula ejus verba ac syllabas consideremus & ita accipiamus, ne frustra apposita videantur, Idem Faber c. 1. non longè à princ. Menoch. consilio 49. n. 10. Coth. m. n. 53.*

3. Fieri autem non potest quin horum duorum alterum in obligatione deprehendatur, vel debitum monetæ certæ, vel monetæ incertæ. Si mo-

neta debeatur certa refert rursum: An in usu sit ejusq; copia haberi commodè possit: an verò in usu esse desierit.

4. Prius membrum eam rursum distinctionem recipit: an in eadem bonitate, quæ fuit tempore contractus, etiamnum, cum facienda solutio, moneta debita perduret: an verò bonitas ejusdem fuerit immutata.

5. Primo casu (quando nimirum & copia debitæ monetæ non adeò difficulter haberi potest, & in eadem bonitate permansit) communius placuit; monetam aliam pro alia invito creditori solvi non posse, sed præcisè præstandam eam, quæ apparet promissa vel legata vel aliter in obligationem deducta. Quod probamus.

Sive moneta debeatur tam in specie, quam numero certo, puta centum aurei Rhenani integri: Sive debeatur in specie saltem certa, sed numero incerto, puta centum floreni in aureis Rhenanis: per L. 2. D. de rebus credit. L. si cum aurum 50. & d. L. Paulus 99. D. de solut. Müntzordnung *Anno 1559.* §. die jetztgemelte gemeine Reichsmüntze *fol. mihi. 231. lat. 2. per rationes complures, quas adducunt Covar. dict. c. 7. §. unico n. 1. Faber in dict. repet. ax. 1. Menoch. dict. consilio 138. n. 1. cum. seqqqq. Coler. de process. executiv. part. 1. c. 10. n. 7. Coth. resp. 36. n. 41. Knichen. dict. loco n. 364. Nam etsi non desunt, qui tradant: generali quadam consuetudine receptum esse, ut qualibet moneta proba pro qualibet solvi possit, argumento L. unic. C. de argent. pretio Bart. in d. L. Paulus n. 3. Faber d. tract. c. 2. & in repet. conclus. 2. Hotom. illustr. 15. Donell. in L. 3. n. 10. de reb. credit. Modestin. Pistor. consil. 27. n. 28. vol. 2. & alii relati à Knichen n. 361. Tamen consuetudinem ejusmodi hodie vix obtinere, in Germania præsertim, nisi fortè inter eos, qui mutuo eandem receperunt consensu, patet ex dicta constit. Imp. Anno 1559.* §. die jetztgemeldte. *& testes in eam rem sunt Carol. Molin. n. 708. in fin. Covarr. de loco Colerus d. n. 7. Coth. n. 38. Knichen. n. 364.*

6. Altero casu, cum mutationem moneta in obligationem deducta, perpessa est, iterum referre placuit: an circa intrinsecam, vel extrinsecam bonitatem mutatio acciderit. *a)* In illa namq; specie ejus intrinsecæ bonitatis numos solvendos esse communius obtinuit, *b)* quæ fuit tempore contractus, quod verius ac juris rationi maximè consentaneum existimamus. *c)*

a) *Intrinsecam bonitatem eam dicunt, quæ consistit in materia & pondere monetæ arg. L. 1. D. de contrah. empt. L. 2. C. de vet. num. potest. lib. 11. alii ligam vocant, Germanis,* Gehalt Schrodt und Korn/ *Schneidw. in §. bonæ fidei n. 33. fol. mihi. 924. Geil. 2. observat. 73. n. 7. Extrinsecam bonitatem appellant, quæ in æstimatione, valore, cursu & usu monetæ consistit,* den

werdt

werdt oder werdierung / als sie gänge vnd Gäbe ist / *Schneidw. d. loco Modest. Pistoris dict. volum. 2. consil. 27. Coth. d. consil. 36. n. 14. Etsi Molinaeus iisdem appellationibus inverso significatu utatur n. 696. quem tamen, ut nemo alius, ita nec nos sequimur, moniti à Fabro d. tract. c. 1. circa medium.* b) *Bart. in L. cum quid 3. D. de reb. credit. n. 17. Tiraquell. de retract. part. 1. §. 1. gloss. 18. n. 27. Covarr. d. c. 7. §. un. n. 2. Gesl. ac Schneidw. locis dictis & alii innumeri adducti ab Ant. Gabriel. in comm. tit. de solut. conc. 1. n. 2. Coth. d. cons. 36. n. 59. Moller. ad const. elector. 28. part. 2. n. 1. Kohl. exercitat. 18. per totum, Fachineus lib. 2. controvers. c. 10. vers. restat. Dissentit post alios à se adductos Menochius d. lib. 1. consilio 49. n. 39. mox tamen consilio nimirum 138. n. 10. ad nostras partes accedens.* c) *Tum quod contrahentes ad praesens censeantur habuisse respectum, nec de incerto futuro, velut ignoto, cogitare potuisse L. Rutilia 69. D. de contr. empt. L. 2. §. 1. D. de heredit. vendit. L. si filius f. 78. D. de V. O. Tum etiam, quod si secus statueremus, non id quod debitum est, sed aut minus aut plus solveretur, quorum neutrum admitti potest per d. L. cum quid 3. D. de reb. credit. d. L. 1. C. de veter. numism. potest. Faber pulchrè d. c. 4. Cui consequens ut, siquidem aucta fuerit bonitas intrinseca, debitori permittendum sit augmentum hoc deducere, sin contra deminuta, compellendus idem ut decrementum suppleat, nisi aliud convenerit, latè Kohl. d. exerc. 18. per totũ: ubi plures rationes cumulat.*

7. In hac a. specie posteriore, quando videlicet valor monetae, quem bonitatis extrinsecae appellatione Dd. designant, crevit decrevitve, immensus est opinionum *a)* conflictus; contractusne, an solutionis tempus veniat inspiciendum? *b)*

a) *Referunt Anton. Gabrielius de solut. conclus. 2. Fran. Vivius com. opin. in verbo moneta pecuniave Sorar. in verb. moneta n. 202. Ernest. Coth. d. resp. 36. n. 91. cum trib. seqq. Kohl. exercitat. 19. n. 1. & seqq. Johann. Köppen decision. 2. per totum Fachineus d. lib. 2. c. 9.* b) *seu, ut alii, ad debitorem ne decrementum incrementumve valoris spectet, an ad creditorem? quae utraq; formula tamẽ hujusce quaestionis ad modum ambigua est atq; perplexa, Molin. d. n. 693. in fin. adeò ut Dd. non rarò, dum verbis discrepant, idem tamen sentiant & contra, dum idem nonnulli dicunt, diversissima statuant, ut observavit etiam Ernest. Cothman. dicto loco n. 98. Quaerimus a. illud: an debitor nummos (quorum valor hodiè crevit) in minore illa aestimatione quae contractus tempore obtinuit solvere, & rursum creditor nummos (quorum valor decrevit) tanti, quanti olim cum contraheretur valuerunt, recipere in solutum cogatur, & ita tempus contractus inspiciendum? An verò contra creditor nummos in eo valore, qui nunc est (cum solutio facienda)*

 minor

minor majorvè exigere possit ac rursum recipere compellatur, & ita solutionis tempus veniat considerandum juxta dict. constu. elect. part. 2. constit. 28. Geil. d. lib. 2. observat 73. n. 3. Ant. n. Thessaur. decis. 174. n. 3. aliter atq; terminos hos explicuit Cothm. dict. responso. 36. n. 98. eumq; secutus Knichen d. c. 5. n. 324.

8. Ad cujus dubii decisionem plurimum interesse ducimus: Num certæ nummorum species inæstimatæ in obligationem deducantur, ut corpora: an verò æstimatæ, ut quantitas. Illud namq;, ubi factum apparebit, contractus tempus inspiciendum & intrinsecæ bonitatis potissimum rationem habendam dicemus, non attento, num valor extrinsecus creverit vel decreverit: dummodo in genere definito solvantur nummi tot, quotquot eorum promissi fortè aut legati sunt.

Nam sicut cum vinum, oleum, triticum mutuo datur, nihil opus est extrinsecam ejus inspicere æstimationem, sed sufficit, si ejusdem generis & bonitatis totidem tritici modii, aut olei pondo vel vini amphora reddantur, quot credita, sive carius, sive vilius ea constent solutionis tempore, quam contractus, L. cum quid 3. D. de reb. credit. in pr. Instit. quib. mod. re contrah. oblig. cum ibid. notatis. Ita &, cum nummorum genus pariter ac numerus certus in obligatione versatur, sufficere dicendum est si eum, quem debeo, numerum in eo, quo convenit, genere solvam: quicunq; tandem eorum solutionis tempore valor fuerit, argumento L. 9. in verbis, si non species designata sit D. de aur. & arg. legato. & d. pr. Instit. quib. mod. L. 1. §. 2. D. de obl. & action. Utroq; enim casu non æstimatio in obligatione est, sed corporum genus d. L. 1. in fin. juncta d. L. 9. D. de auro & argento legato & d. L. si cum aurum 50. D. de solut. Nec ergo æstimationis ulla potest tum haberi ratio, nisi fortè in solutione mora fiat. Tum enim ejus quod interest æstimatio necessariò secundum solutionis tempus ineunda Anton. Faber d. tractatu c. 7. per L. vinum 22. D. de reb. credit.

9. Factum verò illud putabimus. Primò: quotiescunq; disertè ita convenit, aut dispositum est, puta: credo tibi aureos Rhenanos probos decem, ut totidem mihi reddas singulos pro singulis, Stück vor Stück. vel si testator dicat: lego Mævio nummos Joachimicos 50. quos numero totidem probos & integros ipsi ab herede meo præstari volo. &c.

Conventio enim dat legem contractui, d. L. semper in stipulationibus D. de R. J. L. jurisgentium 7. §. quinimò D. de pactis. Knich. de tr. de Saxon. non *provocand. jure c. 5. n. 329. Anton. Thessaurus d. dec. 174. n. 5. Menoch. l. cis ante, citatis. Ita ut in claris ad alias, quam verba referunt, voluntatis conjecturas nihil opus sit confugere, L. continuus 137. §. 2. in fin. D. de V. O. Cothm. dict.*

respons.

respons. 36. n. 53. & n. 106. Cravetta cons. 47. n. 1. Menoch. d. con. 258. n. 3. & 4.

10. Idem, secundò, dicimus & si certi generis nummorum numerus certus simpliciter in obligationem deducatur, etiamsi de iis in specie solvendis non ita disertè caveatur, puta cum cautio habet: debere me centum aureos Rhenanos, aut taleros imperiales centum, eo non adjecto, quod velim istos in nummis istiusmodi aureis vel argenteis solvere solidis ac integris.

Eo enim ipso, quod certa nummorum species seu genus in obligationem deducta est, simul & de solutione in eodem genere facienda convenisse censebitur, ita, ut aliud solvendo minimè contingat liberatio, d. L. 2. D. de reb. creditis: ex quocunq; tandem contractu, dispositione, aut negotio obligatio hujusmodi descendat: & sive pura ea sit, sive conditionalis, sive in diem Kohl. dict. exercitat. 19. n. 3. 4. 5. 6.

11. Quinimò (3) in contractibus, qui re ineuntur adeò hoc obtinere putamus, ut etsi de iisdem, qui numerati sunt, nummis in genere scilicet suo reddendis nihil omninò cautum sit, adhuc tamen ejusdem generis ac bonitatis intrinsecæ nummos totidem, quot numerati sunt (si de eo liquidò constet) reddi oportere censeamus: modo non expressè aliud actum....

In mutuo namq; deposito & cæteris, qui re ineuntur, contractib. non utiq; semper, quid reddi debeat dictum oportet, sed sufficit ad hoc, ut sciatur quid quantumq; reddi debeat, constare, quid traditum numeratumq; sit, L. 1. §. 2. D. de oblig. & actionib. L. rogasti. 11. §. si tibi D. de reb. credit. L. si tibi 17. D. de pactis L. cum ultra 9. C. de non num. pecun. Ferrar. in dict. form. hypoth. n. 2. in fin. Anton. Faber dict. tract. c. 3. Knichen. d. c. 5. n. 353. Nam quod alii tradunt: casibus hisce memoratis solutionis tempus inspiciendum esse, relati à Gabriëlio dict. conclus. 2. Cothm. d. n. 91. & 93. Kohl. dict. exerc. 19. Fach. dict. c. 9. vers. tertia sententia: id ita intelligendum, si in mora fuerit debitor, aut in alio monetæ genere solutio offeratur. Tum enim tanti æstimantur nummi, quanti tunc fuerunt, cum reddi solviq; debuissent, per L. vinum 22. D. L. 9. de auro & arg. legato. Ita declarat. Knichen. d. c. 5. n. 354. Andreas Kohl. dict. exerc. 19. n. 2. Anton. Thessaur. decis. 174. n. 4. Sed anne tunc quoq; ad interesse tenebitur, cum non de damno emergante, sed lucro cessante creditor certat? *Negat id Bart. id d. L. Paulus n. 7. Ferrar. dict. num. 2. in fin. Nos affirmamus cum Knichen. d. c. 5. n. 355. per d. L. 99. & L. sterilis 21. §. 1. D. de actionib. empti. Nam satis probabile interesse obtendit creditor, dicens: si sibi nummi in specie seu genere debito sine mora soluti essent, potuisse se*

major-

majorem pecuniæ summam inde conficere, quam nunc post moram commissam.

12. Transſeamus nunc ad alterum propoſitæ diſtinctionis membrum, ac Quid, ſi æſtimati in obligationem deducantur certi generis nummi, ſolvendum veniat? indagemus. Et pro regula obtinuit: in ſpecie hujusmodi æſtimationem duntaxat in obligatione eſſe, nummorum verò genus in ſolutione.

Hoc eſt: ſolvendos quidem omninò ejus generis nummos, qui nominatim debentur, verùm nec plures, nec pauciores, quam quotquot illorum ſolutionis tempore efficiant quantitatem ſive æſtimationem illam, quæ olim tempore contractus in creditum venerat. Nam quod alii in hac ſpecie contractus tempus ſpectandum dicunt, id omninò ad ſortis æſtimationem ſive pecuniæ ſummam in obligationem deductam, non ad nummorum æſtimium ſingulorum referendum eſt, utpote qui ſolventur in eo valore, qui nunc eſt, non qui fuit olim cum contraheretur Bart. in d. L. Paulus n. 10. Ferrar. loco quo ante n. 5. Molinæus quæſt. 90. n. 687. & n. 729. quæſt. 96. & num. 335. quæſt. 97. Covarr. dict. c. 7. concluſ. 9. 10. Anton. Faber c. 23. & alii quos citat Coth. d. reſponſo n. 106. Kohl. dict. exercit. 19. n. 18. Anton. Gabriel. dict. concluſ. 2. n. 13. & ſeqq. Igitur ſi creverit nummorum valor, eandem æſtimationem ſeu pecuniæ ſummam, quæ olim credita, vel in paucioribus nummis generis debiti ſolviſſe ſufficit: ſin decreverit, ſupplenda omninò ſumma eadem ac in genere debito vel plures etiam nummi perſolvendi, non attento, creditoris id an debitoris cedat lucro vel incommodo. Rationes v. concluſionis hujusce, Erneſtus Cothmannus unde viginti cumulat, quarum præcipuæ hæ. 1. Quia æſtimatio regulariter venditionem inducit ac omne rei periculum æquè ac commodum in recipientem, videlicet debitorem, transfert, L. plerumq; §. 4. in fin. & §. 5. in fin. D. L. 10. C. de jure dotium L. 1. in fin. C. de æſtimatoria actione L. æſtimatis 50. cum ſeq. L. penult. §. mancipia D. ſolut. matrim. 2. Quia ideò contrahentes æſtimationem, ſive pecuniæ ſummam, certam in obligationem deduxiſſe videntur, ut augmenti decremetniq; incertitudinem effugiant. Magis igitur ad ſortis ſummam, quam ſingulorum valorem nummorum hoc caſu reſpiciendum, Molinæus pulchrè n. 734. Covarruv. c. 7. §. dict. concl. 7. in verbo unico, ob metum mutationis. 3. Quod ſecundum naturam, ut commoda cujusq; rei eum ſequantur, quem ſequuntur incommoda. Sicut ergo creditor nummis decreſcentib. ſupplementum proculdubio exiget: ita & econtra nummorum creſcente valore augmentum meritò debitorem ſequetur, nec permittendũ erit creditori in ſumma plus petere, quam eidem debetur. 4. Quia negari nequit eum, qui in monetæ genere convento debitam æſtimationem, ſive pecuniæ ſummam, perſolvit, obligati-

gationi suæ in forma specifica satisfacere ac proinde liberationem haud immeritò consequi d. L. 1. in fin. D. de arg. leg. in pr. Inst. quib. mod. toll. oblig. (5.) Quia ita facienda solutio, ut nec quidquam creditori absit, nec idem plus etiam, quam abest sibi, consequatur L. in perpetuum 61. D. de solut. & facit L. 17. D. de pactis: quam immotam ac panacaam juris regulam vocat. Knichen. n. 336. (6.) Addi potest ratio & illa, quod in dubio id, quod minimum est, sequi nos oporteat d. L. 34. L. 56. cum similibus D. de R. Juris. cum ibid. notatis: Reliqua videantur apud Cothman. loco dicto.

13. Atq; huc sequentia & alia consimilia exempla refero. 1. Si debitor promiserit, aut (in voluntate puta ultima) jussus fuerit dare vel solvere pecuniæ summam certam in monetæ genere certo quidem, sed numero nummorum incerto, puta florenos centum in taleris probis & in integris Hundert Gulden an guten gantzen unverschlagen Reichstalern.

Tenetur namq; hic creditor accipere, & debitor solvere nummos in eo valore, qui nunc est, saltem ut integra summa centum florenorum præstetur. Et in hoc articulo omnes consentire, tam eos, qui sententiam receptiorem, quam qui contrarium sequuntur post Didac. Covar. dict. c. 7. §. un. concl. 9. Vivium & Gabriel. locis. supra citatis Fabr. d. tr. c. 23. & in repetit. conclus. 10. & 11. testatur Kobl. dict. exercitat. 19. n. 23. Rationem, præter superiores, hujus formulæ peculiarem affert Menochius eam dict. consil. 49. n. 28. Quod videantur contrahentes talerorum numerum ideò non determinasse, quia considerarint fieri posse, ut quandoq; plures, quandoq; pauciores summam in obligatione positam conficiant, ac voluerint adeò in obligatione esse summam florenorum determinatam, numerum verò talerorum indeterminatum propter futuram scilicet monetæ variationem: Et in hisce mens contrahentium maximè sit spectanda juxta Boërium quæst. 427. n. 3. Guid. Papa quæst. 493. col. 1.

14. Idem (2) dicemus, etsi nummorum æstimatô creditorum numerus certus in cautione exprimatur, si modo de eodem numero reddendo non expresè convenerit, puta si ita scriptum: creditos olim 400. florenos in taleris 350. solidis probis ac justis, ac convenisse, ut debitor hos 400. florenos in taleris itidem probis ac solidis reddat & c.

Nam longè aliud est (inquit Antonius Faber in d. repetione axiomate 15.) 400. florenos in 350. taleris accipere, aliud 400. florenos debere in 350. taleris. Illo casu debentur floreni duntaxat, iiq; 400: hoc 350. taleri integri (quam speciem mox in exceptionibus proponemus.) Illud ad creditoris factum refertur: hoc ad officium debitoris, cui cum totidem nummos, quot accipit, refundendi necessitas imposita non appareat, creduntur etiamnum ob æstimationem adjectam non nummi per se eorumq; numerus definitus, sed potius summa vel

B quan-

quantitas illa, quam totidem nummi tempore obligationis constituebant in obligationem deducta, idem Faber d. tract. c. 8. Kohl. dict. exercitat. 19. n. 27. Et de tali quoq; specie accipio Knichen. d. c. 5. n. 321. usq; ad 353. Sed quid si nec illud provisum: ut in eodem saltem genere monetæ, quo creditum, debitum reddatur?

Antonius Faber d. c. 8. & in repet. 15. post Bart. & alios in d. L. Paulus concludit: Licere tum in quavis moneta justa ac proba eandem summam refundere: quod hoc casu nummi sine ulla conditione æstimatò crediti omninò venditi videantur, argumento d. L. cum dotem C. de jur. dot. L. 3. & L. non est probabilis C. de rescind. vendit. L. 1. in fin. D. de aur. & arg. legat. Quod placet.

15. Ergò (3) & si ita scriptum fuerit: Deberi seu præstari opportere aureos centum ad rationem 27. grossorum pro quolibet aureo, hundert Goldgülden jeden zu 27. Groschen gerechnet / idem quod in casibus proximis obtinebit.

Carol. Molinæus de contract, usurar. n. 733. cum seqq. Andreas Tiraquell. de retract. consang. §. 1. gloss. 18. n. 28. Didac. Covarr. d. c. 7. §. unico n. 5. Ant. Gabriel. lib. 3. com. conclus. lib. 3. concl. 2. n. 11. & 12. Thessaurus d. decisione 174. n. 6. Anton. Faber. dict. tract. c. 2. Nam cum certo nummorum numero ac genere præmisso singulis sua nominatim subjicitur & adsignatur æstimatio, intelliguntur hoc veluti pretio singuli nummi taxati & quasi appreciati, ut proinde omnes illæ rationes, quas retulimus sub thesi 12. huc optimè quadrent, fusè & eleganter Kohl. dict. exercit. 19. n. 20. Diversum obtinet, cum æstimatione sive pecuniæ summa præmissa numerus specierum certus subjicitur, uti mox apparebit, ex thesi 19.

16. Fallit autem regula in thesi 12. modo proposita, quoties nummis æstimatio non taxationis ac veluti venditionis, sed demonstrationis saltem causa adjecta deprehenditur. Nam tunc tam intrinsecæ quam extrinsecæ bonitatis ratio initur ex tempore contractus, ita, ut tot nummi solvendi veniant, quot crediti: non plures, nec pauciores: sive creverit valor eorum extrinsecus, sive decreverit.

Quia hoc casu æstimatio venditionem non facit, & ideo perinde est, ac si inæstimati debeantur nummi, juxta ea, quæ diximus supra thes. 8. Anton. Faber d. tract. c. 7. textus in L. si inter 21. cum ibid. not. C. de jur. dot. Demonstrationis v. gratia valor adjicitur, cum id agitur, ut hac notâ monetæ species in obligationem deducta ab alia specie consimili tantò melius discernatur, non, ut nummi certo veluti pretio æstimentur ac quasi vendantur, puta: cum promissi olim centum taleri integri singuli gr. 24. ad differentiam talerorum

Hisp.

Hisp. qui valebant gr. 27. vel aurei integri gr. 27. ad differentiam cruciatorum qui 36. aut Ducatorum qui 38. grossis olim valebant. Faber d. tract. c. 2.

17. Quod, uti in thesi satis videtur expeditum, ita in hypothesi seu exemplorum casuumve, uti loquuntur, figuratione nō exigua se se offert difficultas. Verumtamen, si obligationis verba disertè ita habeant: (numeratos florenos 80., singulis pro 21. groff. computatis, in 70. taleris probis ac solidis, singulis pro 24. gr. computatis, ea lege: ut reddantur floreni totidem in taleris ejusdem generis & æstimatione eadem, nulla habita ratione augmenti vel decrementi deinceps eventuri) dubitari nequit, quin demonstrationis, non taxationis causa æstimatio sit adjecta.

In hac enim & similibus hypothesibus, ubi conventionis lex satis clara est ac indubia, negari planè nequit, quin ea servanda L. 1. D. de constit. pecunia L. 1. D. de pact. L. contractus D. de R. J. c. contractus eod. in 6. Covar. d. tr. c. 7. §. unico n. 5. Molin. n. 395. Menoch. dict. consil. 49. n. 10. Thessaurus. dict. decis. 174. n. 5. Knichen. d. c. 5. n. 329. Cothman. dict. consil. 36. n. 108. & n. 211.

18. Ast, quid si certi generis nummis æstimatò in creditum deductis simpliciter stipuletur creditor, ut in eadem æstimatione, vel ad eandem æstimationem reddantur, eo non addito, quid de incremento decrementoq; fieri debeat? Et adhuc idem, quod in præcedenti hypothesi, statuendum putamus.

Verbi gratia, si ante quinquennium fortè mutuo dati floreni 80. in taleris 70. singulis taleris pro 24. groff. Misn. computatis eo pacto, ut floreni 80. pariter in taleris, singulis itidem pro 24. gr. computatis, reddātur: quæstio nunc suboritur momenti non exigui (postquam scil. singuli taleri valent grossis 28.) an 70. taleri solvendi? an verò sufficiat reddisse saltem 60? qui nunc 80. florenos æquè ut olim 70. conficiunt. Posterius affirmat Ernestus Cothm. post alios per ipsum citatos dict. cons. 36. n. 252. ac prò hac sententia non solum adducit omnes illas rationes, quas supra memoravimus thesi 12, sed etiam alias quasdam superaddit, quarum 1. Quod adiectio hac, ut in eadem æstimatione, vel ad eandem æstimationemem reddantur nummi, tacitam habeat conditionem: rebus sic stantibus. Ideò mutato valore nihil eam operari. Nam & superioribus casibus eandem ad ectionem tacitè inesse. Non debere igitur hoc loco expressum plus operari quam illic tacitum (2) Quod adjectio qualificet rem sive obligationem L. final. C. de dotis promiss. Cum igitur in formula prædicta expressè habeatur, ut taleri solvantur ad æstimationem 24. grossorum, consequens esse, ut quod jam pluris valent, quam groff. 24. id jure meritò possit debitor deducere. Præcipuè verò urget (3) quod æstimatio periculum æquè ac commo-

dum in recipientem scil. debitorem conferat, quodq; (4) creditor hanc legem ideò adjecisse videatur: ne decrescente valore minorem summam recipiat. Pariter ergò & per contrarium valore crescente nec summam majorem eundem exigere posse: & deniq; (5) quod in dubio, quod minus est, sequimur, & dubiam pactionem contra creditorem interpretamur. Prius verò post Bart. in d. L. Paulus in fin. D. de solut. Covarr. d. §. unico conclus. 7. circ. med. & alios ibid. citatos placuit Andr. Kobl. d. exerc. 19. n. 7. Eaq; sententia verior est. 1. Quia ex prædicta & similibus obligationum formulis talis contrahentium mens non obscurè colligitur. Cum enim haud contenti fuerint obligationi certam summā vel quantitatem pecuniæ cum certo monetæ genere inseruisse, sed ulterius processerint providendo de æstimatione, sub qua nummi sint solvendi: utiq; eo ipso suam satis apertè declararunt voluntatem, quod secundum præsentem non futurum nummorum valorem eorum fieri debeat restitutio sive solutio. (2) Facit huic d. L. si inter 21. C. de jur. dot. ubi traditur, quod speciebus æstimatò in dotem datis ea lege, ut in eadem æstimatione reddantur, non possint species fortè deminutæ alio pretio, quam quo taxatæ fuerant, reposci. Non moramur itaq; dubitandi rationes à Cothm. adductas. Nam primam, quod attinet; Negandum intrepidè nostræ speciei inesse tacitam conditionem, Rebus sic stantib: ac potiùs verba ita accipienda, ut aliquid operentur, juxta notata ejusdem Cothmanni n. 53. Similis planè responsio ad dubium ejusdem secundum. Siquidem verum est adjectionē illam, (ad eandem æstimationem) adeò qualificare obligationem, ut nec pluris nec minoris nummi solvi possint aut debeant, quam in æstimatione adjecta, grossorum scil. 24. Tertium argumentum à puris procedit particularibus. Cum æstimatio nec vēditionem semper faciat: nec perpetuo periculum ac commodum in recipientē transferat d. L. si inter 21. C. de jur. dot. Quartum per inversionem diluimus, ac cum eo fine prædictam adjectionem factam præsumamus, ut si crescat moneta lucrum creditoris sit: pariter & decrementum ad eundem pertinere concludimus. Quintum & ultimum in nostra specie ideò cessare debere contendimus, quod mens contrahentium ex verbis tam claris satis manifesta. In claris enim nullus est locus conjecturis d. L. continuus 137. §. 2. in fin. D. de V. O.

19. Nec divesum statuimus, cum de nummorum æstimatorum eodem numero omnimodo reddendo persolvendoq; disertè cautum reperitur, verbi gratia: fateor me accepisse florenos octoginta in taleris probis & solidis 70. quos in taleris totidem me redditurum spondeo.

Nam etsi & hic articulus admodum controversus sit, quibusdam existimantibus sufficere, si eadem quantitas reddatur, licet non totidem taleri, Carolus Molin. quæst. 90. per totum. Ernest. Cothm. d. responso. n. 289. & 301.

Quod

Quod contrahentes ad quantitatem magis, quam nummorum numerum retulisse se videatur. Aliis contra pronunciantibus: non sufficere eandem summam reddidisse, nisi simul & idem nummorum numerus exolvatur, Aymon Cravetta consilio 47. per totum Gabriel Roman. dict. conclus. 2 n. 10. Tamen posteriorem sententiam juris rationi magis convenire minimè dubitamus cum Fabro d. tract. c. 2. fol. mihi 30. 1. Quia lege conventionis satis apertè cautum, quot nummi pro summa credita sint reddendi: totidem videlicet, quot accepti. 2. Quia eum ipsam ob causam numerus certus solutioni præfinitus videtur, ne valore crescente vel decrescente, nummi plures vel pauciores solvendi vel recipiendi. 3. Quoniam in præsenti hypothesi reciproca quædam æstimatio deprehenditur & quoddam quasi retrovenditionis pactum tale, ut sicut ego 70. taleros pro 80. florenis tibi quasi vendidi, ita tu mihi pro eadem summa totidem taleros aliquando velut revendas. 4. Quia obligatio hujusmodi duo continet capita: Alterum, ut summa non in qualibet moneta, sed in nummis certi generis præstetur: Alterum ut præstetur quoq; in tot nummis, quot expositi. Opportebit igitur utriq; conventionis capiti meritò satisfieri d. L. 1. D. de const. pec. Kobl. Exerc. 19. n. 26. Fallit tamen thesis hæc nostra, sicut & præcedens, si ex aliis evidentibus conjecturis & circumstantiis eniteat, non saltem demonstrationis, sed etiam taxationis ac veluti venditionis causa æstimationem fuisse factam, quarum nonnullas recenset Ernest. Cothm. dict. responso 36. circ. finem.

20. Deniq; valoris variatio sic demum in considerationem venit, si publica, non privata autoritate contingat. (*a*) Quod an sola principis sanctione (*b*) an & populi usu (*c*) fieri queat? dubia admodum subtilis & ardua quæstio est. Nos distinguemus. (*d*)

a) *Sicut enim privatis haud licet nummos cudere L. 2. C. de falsa monet. Nem. Carolina art. 3. c. unic. quæ sint regalia in usib. feud. ubi fusè Reg. Sixt. c. 9. per tot. Bod. de Republ. lib. 1. c. ult. Knich. d. c. 5. n. 312. Arnold. Clapmar. 1. de arc. imper. c. 16: Ita nec æstimium valoremve alium, quam qui publica autoritate iisdem datus, ipsis imponere L. 1. & L. ult. C. de vet. numism. potest. novella Leon. 52. facit. L. 1. §. generaliter, L. jus publicum, 38. D. de pactis cum simil. Regner. Sixtin. d. c. 9. n. 28. post Alb. Brun. de aug. & diminut. mon. n. 5. Knichen n. 329. & novissimè Johannes Bornitius de nummis c. 9. in pr.* b *quod innuit Menochius consil. 258. n. 15. authoritate Joh. Fabr. in authent. hoc nisi debitor. C. de solut. Boerii quæst. 327. n. 6. Kobl. exercit. 19. n. 3. in fin. & pro hac sententia militant jura præcitata juncta* des H. Röm. Reichs Müntzordnung *de Anno 59.* §. die jetztgemeldte gemeine Reichs Müntz *f. mihi 731. lat. 2.* c) *quod contendit Molin. d. tract.*

tract.

tract. n. 797. & 747. Cothman. dict. consil. 36. n. 176. per rationes sequentes. (1) *quod ipsa etiam sacra litera ex commerciorum ac populi usu monetam æstiment Genes. 23. n. 16.* (2) *Quia nummorum valor est iuris gentium, argumento L. 1. D. de contrah. empt. qualia ex populi usu potissimum dependent §. 1. Inst. de L. N. G. & C. L. 10. D. de Inst. & iur.* (3.) *Quod etiam in proverbium abiit: verba & nummos usu valere.* (4) *Quia quod in aliis rebus pretium est, id in nummo valor, argumento L. 2. C. de vet. numism. potest. At rerum pretia ex communi usu & æstimatione pendere expresse statuunt JCti in L. si servum 33. D. ad L. Aquilium. L. pretia rerum 63. D. ad L. Fach.* (5.) *Quod fieri aliter vix possit, quam ut crescente decrescenteve pretio materia, qua nummi constant, simul quoq; augeatur minuaturve nummorum valor. Covarr. de collat. vet. numism. c. 7. n. 6. Sexto testimonio Budæi lib. 3. & 5. de asse, qui multis exemplis ostendit: publicũ populi consensum principum sanctionib. hac in re longè semper prævaluisse.* d) *Nam Molinæi sentẽtiam hactenus recipimus, quatenus novus ejusmodi valor vel longa consuetudine receptus ac confirmatus per L. de quibus 32. D. de legibus & L. 1. C. quæ sit long. consuetudo: aut alia quavis ratione tacito principis consensu approbatus. Is autem ex eo maximè colligitur, si ipsemet princeps nummos in novo ejusmodi valore recipiat atq; exponat. Cothmann. d. loco n. 176. & seqq. In cæteris verò casibus superiorem sententiam veriorem agnoscimus, juxta notata Sixini dict. n. 28. Bornit. d. c. 9. & lib. 2. c. ult. circ. finem. QVÆ porrò justæ causa sint, qua movere principem debeant ad augendum minuendumve antiquum nummorum valorem, exponit Covarr. d. c. 7. Sixtinus. dict. c, 9. n. 50. & seqq. Bornit. d. c. fin.*

21. Discussus usq; huc membri primi articulus primus; quid juris, si debitæ monetæ copia detur? Succedit nunc eusdem membri articulus alter: quid statuendum si moneta credita in usu amplius non sit? Quod quia duplici ratione contingit, vel ob raritatem ejus, vel reprobationem: bipartita rursum hujus articuli dispectio est. Nam si ob raritatem ejus vel difficulter admodum, (*a*) vel omnino non haberi possit, audiendus merito debitor, qui in alia consimili moneta solutionem offert. (*b*)

a) *Parum enim interest, an quid omninò haberi nequeat, an v. non nisi sumptu immenso & difficultate maxima L. 14. de legat. 3. Carolus Molinæus de contr. usurar. quæst. 91. vers. secundo si creditor. Cæterum, si rara quidem sit, sed modico tamen sumptu non difficulter admodum comparari possit moneta debita, omninò eam conquirere debitor ac solvere debebit, juxta Cravettam. consil. 836. n. 6. circ. finem. Cothm. d. resp. 36. n. 35.* b) *argumento*

mento L. Ea quæ 135. D. de R. J. L. impossibilium 185.eod. Johann. Fichard. consil. 47.n. vol. 2. Geil. 2. pract. observat. 73.n. 7. Cothman. dict. respons. 36 n. 33.cum seqq. ubi simul exponit: quæ tum æstimationis ratio ineunda & qui gradus, quæ circumstantiæ observanda?

21. Ast posteriore casu, si nimirum reprobati nummi sint, quid solvi opporteat? accerrimè Dd.nostri digladiantur. *a)* Ego in totali hujusmodi valoris mutatione, idem quod de partiali ejusdem variatione superioribus thesibus defensum, obtinere debere existimo. *b)*

a) *Fuerunt, qui ob monetæ reprobationem penitus liberari debitorem existimarint, argumento L. mortuo bove D. de legat. 2. Sunt qui putent sufficere, si debitor solvat ipsam monetam reprobatam, vel tantum, quantum nunc à reprobatione materia ejus valere potest, Bart. in L. quod ten. 7. D. si cert. petatur & alii relati à Gabriel. d. conclus. 1.n. 4. Sunt deniq; qui tantum solvere jubeant in æstimatione, quanti ante reprobationem moneta fuit, quos longa serie refert Gabriel. dict. n. 4. Molin. n. 702. & 714. Vivius in verbo moneta, Soarez verbo moneta n.201.& novissimè And. Khol.ex.18.n.30. Sed prima opinio non immeritò planè exulare jubetur. In moneta namq; præcipua pars est bonitas intrinseca sive metallum, quod superest etiamsi valor aboleatur: Non potest igitur videri penitus interiisse pecunia. Reliquas a. duas opiniones quamlibet suo in casu retinemus.* b) *Nam aut corpora ipsa in creditum deducta sunt, puta nummis aut prorsus non, aut demonstrationis saltem causa æstimatis, secundum præmissa. Et tum locum habebit Bartoli sententia secundo loco relata, per rationes easdem, quas retulimus superius sub thesi 8. cum seqq. Et quia negari nequit, hanc nummorum reprobationem sine debitoris culpa, ac ideò creditoris periculo evenire per L. in ratione 11. §. 1. ubi Dd. D. ad L. Falcid. L. in navem Sauphei. 31. D. locati. Quid? quod æquissimum est, ut quemadmodum creditor non cogitur cum aliquo detrimento in alia forma, quam credidit, accipere: ita nec debitor compellatur aliud nummorum genus, quam quod in creditum accepit reddere, per d. L. cum quid 3. D. de rebus creditis. Aut quantitas in obligatione est, nummis nimirum æstimatis: Et tum ultima obtinebit sententia, per rationes allatas supra sub thesi 12. cum seqq. & per text. in c. cum canonicis pen. extr. de censib. Quamvis posteriorem hanc sententiam etiam in præcedenti specie obtinere multis argumentis contendat Andreas Kohl. dict. exerc.18. n. 29. Quæ in ipso discursu excutiemus. Tandem non video, cur aliud in totali, aliud rursum in partiali valoris mutatione recipiendum? adversum sententiam L. in toto D. R. J. & L. quæ de tota D. de R. V. Molin. n. 702. vers. octav.*

23. Restat postremum universæ disquisitionis nostræ membrum,

quid

quid solvendum veniat, si nullum monetæ genus definitum, sed nummi saltem numerales (ut vocant) in obligatione sint: velut apud nos floreni, Schockia, libræ? *a*) Et certi juris est in qualibet moneta justa ac proba fieri tum posse solutionem. *b*)

a) *Id quod non eo saltem casu fieri intelligitur, cum nec de numeratione, nec solutione specificorum nummorum ulla in cautione mentio fit, sed etiam cum ex instrumento constat specificos nummos numeratos esse, dummodo æstimatos ac de eodem genere nummorum reddendo nihil cautum sit, Bart. in d. L. 99. n. 10. D. de solut. & notavi supra sub thes. 14. in fin. Secus est si nummi numerati sint specifici inæstimati, uti dictum sub thesi 11.* b) *Id enim numeralis pecuniæ proprium esse perhibent post Bart. in d. L. 99. n. 1. & 2. Castr. ibid. n. 3. Angelus in L fin. C de vet minus pot. Curt. Iunior consil. 24. n. 6. Menoch. consil. 49. n. 14. vers. secundo vel ex eo & n. 22. vol. 1. Faber dict. c. 8. fol. mihi. 166. & in repet. axiom 3. & 4. Kobl. d ex. 18. n. 20. Tum quod hoc casu quantitas in obligatione versatur, argumento L. 1. D. de contr. empt. Tum quod quoties generaliter quippiam debetur, nec ad speciem restricta est obligatio, debitoris electio est quam speciem solvere malit: §. præterea si quis Inst. de action. c. un. de plus petit. Tum deniq; quod nec mutari numeralis pecunia videatur, sed summa promissa eadem semper in quantitate maneat. Veruntamen Imperii constitutionibus cautum, ut majoris summæ nomine invito creditore ultra 25. floreni in moneta minutissima solvi nequeant* Müntzordnung *Anno 1559. §.* die jetztgemeldten *Coler. dict. c. 10. n. 11. Fab. in d. rep. ax. 4.*

24. Quid autem si cautionis verba sint ambigua, quæ de nummo numerali æquè ac specifico queant accipi? qualis apud nos appellatio taleri, bazionis, grossi & similes. Placuit in dubio de nummo potius numerali obligationem interpretandam.

Modestin. Pistor consil. 27. Mynsing. cent. 5. observ. 83. Anton. Faber. d. tr. c. 3. & in rep. conclus. 2. facit const. elector. 29. part. 2. & ibid. Moller. Nam (1.) nostri in contrahendo plerunq; talerorum vel bazionum non ideò faciunt mentionem: ut debitor obligetur ad solvendum in integris taleris vel bazionibus, sed ut sciatur, quantum debeatur Moller. d. loco n. 3. Deindè notissimum est in dubio ad id quod minimum fuerit redigendum summam, ut minus oneretur debitor d. L. semper in dubijs L. favorabiliores 125. de R. J. L. verb. D. de pactis L. Arrianus 47. D. de oblig. & actionib. cum simil. Talis quoq; fuit olim floreni Rhenani appellatio, qua de propterea in hunc sensum Elector peculiarem constitutionem condidit part. 2. constit. 29. ubi Dan. Moll. Mod. Pistor. d. cons. 27.

Corolla-

Corallaria.

I.

An licitum pactum, quo melioris generis moneta reddi cavetur, quam credita? Aio, sed ita: ne in quantitate plus recipiat creditor, quam numeravit.

II.

An spe augmenti futuri pro nummis creditis majorem, quam nunc conficiunt summam: Et contra pro summa, quam nunc conficiunt, metu futuri decrementi majorem nummorum numerum stipulari liceat? Negamus.

III.

An valeat pactum, quo creditor electionem sibi reservat: an nummos in specie, an æstimationem malit exigere? Nego.

IV.

Num præmissæ conclusiones locum habeant in dote, emptione, retractu, & negotiis quibusvis? Aio.

I.

AD

NOBILISSIMUM AC DOCTISSIMUM

Respondentem

WOLFGANGUM à SCHENINGK

EQ. POMER.

Faustæ acclamationis causâ scripserunt amici.

II.

Πάμπολλοι βλαβεραῖς ἀσυμβόλοισι τε
χαίρουσιν μαλακῶς περ ἡδονῆσιν·
τὸν νόον τ᾽ ἀποφώλιοι πέλοντες.
Ἄφρονας δὲ ΣΧΟΝΙΓΓΕ τοὺς νομίζεις.
Καλῶς. τὸ ῥὰ σοφὸν πένυμ᾽ ἐδέξω.
τῶς μὲν ὧν κλέος ἄφθιτον κομίζεις.

Εὐνοίας χάριν ἐσχεδιαζόμην·

PETRUS PISCATOR D.

II.

QUod scel⁹ humanũ gen⁹, aut quæ cæca cupido
Exagitat lucri? Ingentes, durosq; labores
Pauperis haud dubitãt quidã accumulare, premẽ-
Fœnorib⁹, miserosq; in opes Usura trucidat. (do
Dum nempè exercent lucrosa negotia, Fœnus
Crescit in immensum, & scelerata pecunia, virus

Exi-

Exitiate, bonis aliâs Virtutis Amicis,
Efficitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri dira fames! Nil perniciosius, unquam;
Te, fuit inventum: tu publica commoda perdis:
Non tantũ in nummos, sed & in pia pectora sævis.
Quæso fige modum, patulum, Virtutibus, orbem
Ne claudas; Virtutis iter reparârier æquum,
Nonne vides? per præsentem, quo cultior alter
Haud reperitur. Is est quem cura animosum;
Virtutis reddit: Contra nam disputat illos
Qui nequeunt servare modum, vel in accipiendo
Vel dando, semper positis in fœnore nummis.
Huic tu cede vorax vitium. Natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.
Disce prius virtutem ex hoc, post quærere nummos,
Si lubet, & liceat. Namq; hic præcepta docebit
Quæq; salutifera. En virtutis amabile nomen
Hic in fronte gerit! Schöning *quia ritè vocatur*
A virtute Patrum, propriisq; decentibus actis.
Perge igitur felix, Nummorum pondera justa
O Schöninge *tuis thesibus describere, honorem*
Accipies meritum; ad cœlos tua Fama meabit.

Syncerissimi Amoris ergo f.

FRIDECUS à JANOWITZ
Eques Wirtemb.

III.

ESse quid hoc dicam, insolito quod tempore pergis
Assidue tota voluere nocte libros
Spiritu solvis scrupulos, queîs Jureperitûm
Librorum series tota referta manet.
In quibus est animus dubius tu ritè recludis
Quæq; terenda via est, ordine pulchrè mones
Auguror hinc multùm: nec me Præsagia fallent,
Hinc venient olim commoda mille tibi
Scilicet hinc dabitur fructus sentire laborum,
Dulces, & tandem præmia digna feres.
Sic POMERANORUM te Principis aula videbit
Prudenter Patriæ consulvisse tuæ,
Sic quondam incumbet Patriæ tibi norma regendi
Et rata, quæ dices, quæq; negabis, erunt,
Scilicet æternum hinc tranabit ad æthera nomen,
SCHÔNINGÆ gentis Gloria perpes eris.
An non tunc vigiles noctes duxisse juvabit?
Et totos libris incubuisse dies?
Quod superest opto faustus procedat ut annus,
Nestorei ut possis secla videre senis.

Fraternæ amicitiæ ergò F.

JOANNES GEORGIUS von Saucken
Eq. Boruss.

FINIS.